



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 85. Triremes a Papa & Neapolis Rege Venetis submissæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

§. LXXXIV.

Sæcul. XV.
A. C. 1470.*Maurorum incurfus in Castellam.*

Malacæ Gubernator, postquam in Muley-Haffem, qui defuncto Ismaeli Patri suo in Regno Granatæ succedebat, seditionem moverat, Regis Castellæ fidei, atque patrocínio sese commisit. Mauro- rum Rex ea de re indignatus, ut vindictam exereret in Castellæ regnum populabundus excurrit, cunctaque foede devastat. Alia ex parte nuntiatum est, Michaelem Lucam de Oranco Castellæ Connestabilem, Gienensis urbis Præfectum in Ecclesia, cum sacris interesset, a Civibus ex insidiis occisum fuisse, eoquod eis Judæorum Synagogam exspoliari prohibuisset. Dum hæc interim Castellæ regnum turbabant, auspicatori omine Isabella Ferdinandi Arragonii conjux Filiam peperit, cui Matris suæ nomen inditum est.

§. LXXXV.

Triremes a Papa & Neapolis Rege Venetis submissæ.

Cum Veneti apud summum Pontificem, & Ferdinandum Neapolis Regem suppeticas sollicitarent, Paulus II. triremes viginti, Ferdinandus vero septendecim

Z 2

submi-

Sæcul. XV. A.C. 1470. submisit, quæ factis velis ad alias quadraginta sex, quibus Petrus Mocenigo imperabat, procurrebant. Idem Bellidux novis hisce suppetiis auctus, totum excurrit Archipelagum, ingentique strage quæcunque obvia devastat, abs dubio Turcarum molimina plurimum præpediturus, nisi ulteriorem Victoriæ cursum inopinata Pauli II. mors, quæ anno proximo contigit, inhibuisset.

§. LXXXVI.

Censura Propositionum de Jurisdictione ecclesiastica.

*Dupin.
Bibliot.
script tom.
12. p. 134.*

Exeunte Mense Augusto præsentis Anni Parisiensis Facultas theologica quamdam proscribat propositionem de jurisdictione Ecclesiastica, hujus tenoris: *Apostoli suam potestatem non immediate a Christo Domino, sed a Divo Petro acceperunt.* Hæc propositio Auctorem habuit Joannem Molitorem Ordinis FF. Prædicatorum, qui tamen idonea excusatione culpam diluit, ac sese facultatis iudicio subjecit, declaravitque, sibi haud perspectum fuisse, quod hæc propositio jam olim anno Christi millesimo quadringentesimo vigesimo nono ab eadem Facultate fuisset proscripta. Præterea quidam Theologiæ Doctor Fratrum Minorum Alumnus nomine Donatus Dupuy
teu